



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

I. Vt nullus episcopus seruum alterius ad officium clericatus promoueat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

lector, imperatores de rebus sacris leges sancientes, id ipsum monitu sanctorum præsulum, ex scriptis legibus statuisse; nimur ut imperatoria auctoritate coercentur, qui ecclesiasticas sanctiones paruipenderent. Vide Baronium anno 458. numero 4.

EPISTOLA I.
LEONIS PAPÆ I.
AD EPISCOPOS PER CAMPANIAM
ET PICENVM, &c.

- | | |
|---|---|
| I. <i>Vt nullus episcopus seruum alterius ad officium clericatus promoueat.</i> | III. <i>Quod usurpas, non solum clerici exigere non debeant, sed nec laici.</i> |
| II. <i>Vt quicumque ad sacerdotium, vel viduarum mariti, vel habentes numerosa coniugia, promoti fuerint, ab ecclesiasticis officiis arceantur.</i> | IV. <i>Vt clericus nec suo nec alieno nomine fenus exerceat.</i> |
| | V. <i>Vt si quis sacerdotum contra interdicta fecerit, a suo submoneatur officio.</i> |

Leo episcopus urbis Romæ, uniuersis episcopis per Campaniam, Picenum, Tusciam, & per uniuersas Italæ prouincias constitutis, in Domino salutem.

Vt nobis gratulationem facit ecclesiarum status salubri dispositione compositus, ita non leui nos moerore contristat, quoties aliqua contra statuta Canonum, ecclesiasticaque disciplinam præsumpta vel commissa cognoscimus: quæ si non, qua debemus vigilantia, resēcemos, illi, qui nos speculatores esse voluit, excusare non possumus, permittentes sincerum corpus ecclesiæ (quod ab omni macula purum custodire debemus) ambientium improba contagione foedari, cum ipsa sibi membrorum per * dissimulationem compago non congruat.

I.

Admittuntur passim ad ordinem sacrum, quibus nulla natalium, nulla morum dignitas suffragatur: & qui a dominis suis libertatem consequi minime potuerunt, ad fastigium sacerdotii, tamquam seruiliis vilitas hunc honorem iure capiat, prouehuntur: & probari Deo se posse creditur, qui Domino suo neandum probare se potuit. Duplex itaq; in hac parte reatus est, quod & sacrum * mysterium

Ann. Christi 445, qui fuit annus pontificatus S. Leonis quartus scripta est hæc epistola. Idem in epistola Damasi papæ.

* diffini-
litudi-
nem

Dist. 54.
Admittun-
tur.

talis confortii vilitate polluitur , & dominorum , quantū ad illicitæ usurpationis temeritatem pertinet, iura soluuntur. Ab his itaque , fratres carissimi , omnes prouinciæ vestræ abstineant sacerdotes : & non tantū ab his , sed ab illis etiam , qui aut originali , aut alicui conditioni obligati sunt, volumus temperari: nisi forte eorum petitio aut voluntas accesserit, qui aliquid sibi in eos vendicant potestatis. Debet enim esse immunis ab aliis , qui diuinæ militiæ fuerit aggregandus : vt a castris dominicis, quibus nomen eius adscribitur , nullis necessitatis vinculis abstrahatur.

C A P . I I .

Qualis vero vnicuique natalium honestas & morum esse debeat , qui sacri altaris ministerio est sociandus , &

*2. Timoth. 3.
Levit. 21.*

Apostolo nos docente, & diuina præceptione didicimus , & Canonum regulis , a quibus plerosque fratrum declinasse , & penitus deuiasse reperimus. Nam constat ad sacerdotium peruenisse viduarum maritos , quosdam etiam , quibus fuerint numerosa coniugia , & ad omnem licentiam vita liberior , ad sacram ordinem passim patefactis aditibus fuisse permisso , contra illam beati Apostoli

*1. Timoth. 3. vocem , qua talibus reclamat , dicens: *Vnius uxoris virum.**

Et contra illud antiquæ legis præceptum , quo indicitur

Levit. 21.

*& cauetur : *Sacerdos virginem uxorem accipiat , non viduam , non repudiatam.* Hos ergo , quicumque tales admissi sunt , ab ecclesiasticis officiis , & a sacerdotali nomine , apostolicæ sedis auctoritate iubemus arceri ; (nec hoc enim sibi poterunt pro arbitrio vendicare , cuius capaces , per hoc quod illis obliterat , non fuerunt) huius discussionis curram nobis specialiter vendicantes , vt , si qua forsitan , de his commissa sunt , corrigantur , ne liceat ultra committi , & ne qua excusatio de ignoratione nascatur : quamquam ignorare nunquam licuerit * sacerdotem , quid Cano-*

*facer-
doti,*

nūm fuerit regulis definitum. Hæc ergo ad prouincias vestras , per Innocentium , Legitimum , & Segetium fratres & coepiscopos nostros scripta direximus : vt quæ male pullulasse noscuntur , radicitus euellantur , & messem dominicam zizania nulla corrumpant. Ita enim fructum vberem , quæ sunt sincera , præstabunt , si ea , quæ natam segetem enecare consueuerunt , diligentius amputentur.